

Johann Benedict Carpzov    Johann Georg Strobach

**We-af gam sive Judaeorum Aurea Simia : Levit. XXVI, vers. 44.**

Lipsiae: Brandius, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818108231>

Druck    Freier  Zugang





Fa - 1092 (114)



1. Buxtorf, Joh., exercitationes ad historiam:  
1. Arcae foederis; 2, ignis sacri et coelestis; 3, Urim  
et Thummim. 4. Mannae. 5, Petrae in deserto; 6, Ser-  
pentis aenei. Basil. 1659.

12  
: חֲמֵשׁ אֲשֶׁר

five

JUDÆORUM  
AUREASIMIA

Levit. XXVI, vers. 44.

SUB PRÆSIDIO

DN.

JO. BENEDICTI CARPZOVII,

SS. Theol. Doct. & Ling. Sanct. Professoris,

DN. Præceptoris, Patroni & Hospitis olim instar Patris  
Venerandi, Colendi,

publico Eruditorum examini  
proposita

LIPSIAE, IN AUDITORIO THEOLOGICO,

ad diem 17. Maj. Ao. M. DC. LXXXI.

M. JO. GEORG. STROBACHIO,

Kreybiz-Bohem.

---

LIPSIAE, Literis JUSTINI BRANDI.

PROTO-SYNEDRII  
ELECTORALIS SAXONICI  
ILLUSTRISSIMO PRÆSIDI,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO,

Et

CONSILIARIIS GRAVISSIMIS,

DOMINIS ET PATRONIS MEIS  
OPTIMIS, MAXIMIS.

**B**lennium est, ex quo rationem studiorum meorum in splendo vestro  
Confessu reddidi publice. Optarem, ut si non plene, saltem ex  
parte tunc temporis satisfactum esset Vobis. Sed cum neutrum  
in hac tenuitate ingenii citra jactantiam arrogare mihi fas sit;  
paucis hisce pagellis tantum animum adhuc discendi cupidum  
significare volui. Date, Musagete incomparabiles, date hos  
pro insitâ vestrâ bonitate, ut iterati speciminis loco recipiantur  
lincolæ. Hanc signatiam obtinuerint, felicem se tandem ali-  
quando in suo hoc exilio depradicaturus est

NOMINIS VESTRI

Clientis ad preces devotissimas & servitiâ  
humilima obstrictissimus

AUTOR-RESPONDENS.

## Faxit Deus feliciter!

### PRÆFAMEN.

**S**imia est Simia, etiamsi aurea gestet insignia; Ita proverbio dicitur, & verè omninò sic dici, præfens hæc Judæorum *Aurea Simia* comprobatur, quam non è navi Salomonea venantur ex Indiâ allatam *1. Reg. X, 22. 2. Paralip. IX, 21.* sed quam sibi veluti à Mose acceptam ex insigni ejus Oraculo *Lev. XXVI, 44.* fingunt ipsi, aureum nominis insigne præ se ferentem, aureisque literis & furtivis undique versum superbientem coloribus, nihilominus ad fucum compositam, & reverà comprobantem illud, quod alio dicunt proverbio: *Τὸν πηχῶν ἐμπορφοράτος δὲσμορφὸς Ἰσραὴλ, Simiarum pulcherrima deformis est.* Quamvis enim in sese divinum hoc oraculum fucus & fabula sit minimè, (*חס ושלום*) moderni tamen Judæi more simiarum simiam exindè sibi somniant. Et nolunt, quidem hæc nominis impositione ridiculi haberi, cum antiquam illam rationem prætendant, quâ soliti sunt veteres Rabbini libros Mosaicos omnes, ut & eorundè Sidras & Paraschas à literis initialibus denominare, ut ad eò eadem hæc ratione denominationis observatâ *Aurea hæc Simia* à vucula initiali *אפ* quæ Germanicè *Uff* pronunciata simiam notat, titulum suum sortiatur; attamen, si verum hæc Judæis audire fas est, magis se hoc titulo deridendos propinant, quàm ut causam suam adjuvent. Manifestum enim est, quantâ *μεισμορφώσθ* per hanc simiam Judæi in simias abeant, & ut Pfeifferus *in dubiis vexat. p. 318.* loquitur: *wie sich die Juden mit ihrem gülden Affen sehr äffen; quandoquidem abhinc duobus retro, & quod excurrit, millenariis elapsis, omni ex parte adimpletum est vaticinium, ut certè nihil adhuc amplius*



exindè lucrentur Judæi, quàm ut ad vivum gesticulosos Simiã-  
 rum lufus exprimant. Id quod pridem Christianis Doctoribus  
 observatum est. Paulus Fagius in notis ad Onkelofii Paraphrasin :  
*Mirum est, inquit, quantum se adhuc hodie nostri Judæi consolentur*  
*ex istoloco, pollicentes sibi certam liberationem ex hac quã*  
*nunc oppressi sunt, servitute. Et quia prima dictio hujus periodi est*  
 אָן, quod Latine quidem *ETLAM, OVOQVE, ATTAMEN* si-  
 gnificat, Germanis verò אָן sonat *SIMIAM*, idcirco Judæi Ger-  
 mani hanc periodum vocant *AUREAM SIMIAM*, der gülden  
 אָן / *cujus lectione mirifice delectantur, adeoque exultant, ut*  
*quoties eam in Scholis & Synagogis suis legant, vel canant, summo*  
*animi gaudio voceque in altum elevata sonent. Fertur quoque*  
*de illis, quòd ex isto loco Judæi Casarem Fridericum celebris me-*  
*morie ita dementarint, ut dixerit, JUDÆOS HABERE*  
*SIMIAM IN BIBLIIS SVIS, QUAM MERITO*  
*AUREIS DEBERENT SCRIBERE LITERIS. Sed vanissima*  
*est horum tum expectatio tum exultatio.* B. Gerhardus noster  
 Tomo IX. LL. de extremo Judicio §. 110. In hoc textu mirè  
 tripudiant Judæi, quem vocant *SIMIAM AUREAM*, pro-  
 pterea, quòd versus XLIV. incipiat ab Hebræa dictione אָן quæ  
 Germanis *SIMIAM* notat, & ex eo firmissimè concludi posse ar-  
 bitrantur, quòd in terram Canaan aliquando sint reàncendi.  
 Christophorus Helvicus, in appendice ultimâ Elenchorum Judai-  
 corum, qui & separatim, & Tomo IV. Disputationum Gissen-  
 sum habentur, cum de argumentis Judaicis pro Messia nondum  
 exhibito egisset, concludit tandem: *Unum præterire non possum,*  
*argumentum è Levit. XXVI. desumptum, in quo mirum quanto-*  
*pere Judæi tripudient ac triumphent. Vocant illum textum*  
*SIMIAM AUREAM, quia dictio versus XLIV. incipit ab*  
*Hebræa voce אָן אָ, quæ Germanis SIMIAM sonat. Et ex illo*  
*concludunt, se adhuc tandem aliquando in terram Canaan rever-*  
*suros, & sic Messiam nondum exhibitum, qui ipsos eo deducat.*  
*Verum vanissima est hæc collectio. Et iterum in vindicatione*  
 Locorum Scripturæ Veteris Testamenti sub titulo אָן אָ אָן  
*SIMIA AUREA p. 166. Judæi mirifice delectantur hoc textu, & il-*  
*lum AUREAM SIMIAM appellant, habentque pro basi omnis*  
sue

*suo spei de adventu Messie & reductione in terram Canaan.* Paria passim invenias apud Autores alios, Jo. Müllerum *part. I. Jud. c. XVII. §. VI. p. 528.* Jacobum Martini, *lib. III. de Trib. Elohim cap. XLI. p. 197. 215. seqq.* Salomonem Glassium *lib. III. Phil. Sacr. tr. VII. Can. IV. pag. 592. (805.)* Michaellem Havemannum, *in Lucernâ Anti-Judaicâ, c. III. p. 23. seqq.* Michaellem Waltherum *in Spong. Mosaic. pag. 864. seqq.* Antonium Margaritam *in Relig. Judaic. p. Dd. 2.* Christianum Gersonem *part. I. Talmudis Judaici cap. XIII. pag. 74.* aliosque quàm plurimos, quos imitari hac vice constitutum est nobis, qui dum Academicum meditatur exercitium Patronis, eorum jussu, probaturi nostra studia, hanc Judæorum Simiam nobis selegimus, *tribus Caputibus* veluti exenterandam, in quorum *Primo* Aureæ Simiæ Larvam, hoc est, Judaicam textus depravationē repræsentemus; *Secundo* Larvam huic Simiæ detrahimus, depravationem istam confutando, & *Tertio* deniq̃ue detractâ Simiæ larvâ verum & genuinum Oraculi sensum, voces & phrasēs & contextum expendendo planissimè eruamus. Quod ut ex voto succedat, benignissimum divinum Numen eâ, quâ par est, animi humillima submissione veneramur supplices. Fiat!

## CAP. I.

### Aureæ Simiæ Larva, seu Judaica Textus depravatio.

#### §. I.

**Π**ρώτον ψεύδος quod horrendum in modum textum nostrum depravat, & Simiæ larvam indit, prima illa, & ad orcum usq̃ relegenda hypothesis est, quâ negato Jesu Messia nostro exhibito, hoc vaticinium Mosaicum sub personato quodam adhuc venturo Messia completum iri, ad unum omnes asserunt. Quâ execrandâ hypothesi duo inferuntur ponderanda: *Primum*, quo Messiam in carne manifestatum blasphemè negant; *Alium*, quo completionem hujus vaticinii ad personati Messie adhuc venturi tempora differunt. Quoad *primum*, notum est illud Talmudistarum dogma, quod Messiam non prius admittit, quàm piscibus omnibus, quotquot aquis innatant, demortuis, Romanis per novem,

A 3

inte-

24  
2527  
26

integros menses in omnes terras dominatis, superbiâ atqve luxu-  
riâ in populo Israelitico funditus exterminatis, & religione Sad-  
ducaorum ab omnibus omninò hominibus receptâ, & quas  
præterea nugas duo illi fabularum codicilli *Abcah Rochel*  
& *Malkiel* sub adventum Messie præreqvirunt. In quibus cum  
ipsimet Rabbînorum nonnulli videant, parum inesse roboris ad  
convincendum, illicò ad principium illud indemonstrabile re-  
currunt, atqve ibidem Eliam Præcurso-rem Domini *Malach. IV, 5.*  
Universalem commotionem & cœli & terræ & maris. *Hagg. II, 7.*  
Confluxum omnium populorum, & pacem perpetuò duraturam  
*Jes. II, 2. seq.* & templum tertio restaurandum *Zach. VI, 12.*  
tantâ vesaniâ exposcunt, ut his præsuppositis negatis negent &  
pernegent Messiam in carne manifestatum, adeoque venturum  
adhuc Messiam non nisi in fine dierum & conjunctâ ei resurreccio-  
ne mortuorum expectent. Hinc fieri aliter non potest, quàm  
ut statuunt *secundo*: Oraculum hoc sub venturo Messia adhuc  
implendum restare. In quo errore eò magis animum obfirmant,  
quò firmiora argumenta pro iis facere in scripturis dicunt,  
nempe quòd collectio ovium undiqve dispersarum *Ezech.*  
*XXXIV, 11. seq.* & salvatio Judæ, *Jer. XXIII, 9.* non nisi Messie in  
fine dierum venturo competat *Jes. II, 2. Mich. IV, 1.* Quorum  
cum nihil hætenus in hac moderna dispersione contigerit Judæ-  
is, ex pacto provocant ad complementum hujus vaticinii.

§. 2. *Δεύτερον ψεύδῳ*, quod Aureum Simie fucum im-  
ponit, immanis ille & crassissimus error est, *promissionem hanc*  
*DEI absolutam esse.* Sic enim Rabbi Aben Esra in hunc locum ob-  
servat, dixisse Deum: *ואף אם הם חפרו את בריתי כי כן כתוב אני*  
*: ואף אם הם חפרו את בריתי כי כן כתוב אני* *Etiam si illi fœdus meum*  
*irritum fecerint, quia sic scriptum est, ego tamen irritum non fa-*  
*ciam fœdus meum cum illis pactum, quia Deus sum:* Nempe hæc  
Rabbînorum sententia est, Promissionem Dei in bonis (qualis hæc  
utiqve est) etiam si ei facta sit, qui de justitiâ ad injusticiam labi-  
tur, à Deo nunquam revocari, sed necessariò adimpleri, prout  
diserte Rabbi Salomo Jarchi ad illud *Jer. XXIII, 9. Prophetæ qui*  
*prophetat ad pacem, cum venit verbum Prophetæ, scietur esse Pro-*  
*pheta, quem misit Dominus in veritate;* sic commentatus affirmat;  
אמן

אמר ירמיהו לחנניה אני מתנבא פורענות אם לא יבא אני  
 שקרן שהקמה נוחם על הרעה אבל הנביא אשר יתנבא לשלום  
 בנבא דבר הנביא יודע הנביא אשר שלחו יהוה כאמת אבל אם  
 לא יבא דברו שקרן הוא שנאמר לא אוש אל ויכזב וכך דרש ר'  
 : תנחומא: *Dixit Jeremias Anania: Ego propheta Dei vindi-*  
*ctans, si non venerit, quod propheta, non reputabor mendax, quia*  
*Deum sanctum & benedictum pœnitet super malo. Propheta verò*  
*qui prophetat ad pacem, cum venerit verbum ipsius Propheta, scie-*  
*tur esse Propheta, si autem non venerit verbum ejus, mendax est, si-*  
*cuti dictum est Num. XXIII, 19. non est ut homo Deus, ut mentia-*  
*tur. Atque sic exposuit hoc Rabbi Tanchuma. Hæc ille, ex qui-*  
*bis inferunt, quòd Deus omninò vi pacti hujus teneatur absque*  
*ullo respectu pœnitentiæ ex modernâ servitute in prisinam liber-*  
*tatem restituere Judæos. Et quamvis hîc nonnulli Rabbidorum*  
*vi veritatis convicti profiteantur, requiri ad complementum va-*  
*ticipinorum & fidem & pœnitentiam, tamen eò usque infimul pro-*  
*gressi sunt dementiæ, ut mordicùs negent, posse adhuc majorem*  
*pœnitentiam excogitari, aut ab ipsis excquiri, quàm hâc longinqvâ*  
*& durissimâ servitute egerint. Quare planè nihil adhuc offi-*  
*cere vaticinio censent, quo minus sub venturo Messia expleatur*  
*tandem.*

¶ 3. *Τριτατον Ψευδος* seu tertius deauratæ Simiæ fucus  
 est falsa textus applicatio, quam in Talmudis Babylonici Gema-  
 râ Massecheth Megillah fol. XI. col. 1. sic instituunt: **לֹא מֵאֲסֵתִים**  
**בְּיָמֵי יוֹנָתָן וְלֹא גַעְלָתִים בְּיָמֵי נְבוּכַדְרֶצַּר לְכֹלֹתָם בְּיָמֵי הַמֶּן**  
**לְהַפֵּר בְּרִיתֵי אֲתֶם בְּיָמֵי פֶרְסִיִּים כִּי אָנֹכִי ה' אֱלֹהֵיהֶם בְּיָמֵי גֹג**  
**וּמִגֹּג: Promissiones ista diversa tempora respiciunt, quibus**  
**adimplenda. NON REPROBAVI EOS, hoc tempore Græco-**  
**rum impleri debuit. NEQUE FASTIDIVI EOS, hoc respicit**  
**Nebucadnezaris tempora. AD PERDENDUM EOS, hoc de**  
**tempore Hamanis loquitur. AD IRRITUM REDDENDUM**  
**FOEDUS MEUM CUM IPSIS, hoc tempus Persarum respicit.**  
**QUIA EGO DOMINUS DEUS EORUM SUM, scilicet**  
**tempore Gog & Magog. Alia mox ibidem additur paulò plenior**  
**explicatio, priori parum absimilis: במתנתא תנא לא מאסתים**  
**בימי כשדים שהעמדתי להם דניאל חנניה משאל ועזריה לנ**  
**געלתים**

24  
 2527  
 26

זעלתים בימי יונתם שהעמדתו להם שמעון הצדיק והסמוני  
 ובניו ומתתיה כהן גדול לכולותם בימי המן שהעמדתו להם  
 מרדכי ואסתר להפך בריות אתם בימי פרסיום שהעמדתו להם  
 של בית רבי וחכמי דורות כי אתו ה' אלהיהם לעתוד לבוא שאין  
 כל אומה ורשן יכולה לשלוט בהם: *Traditione accepimus, sic  
 explicandum esse textum: NON REPROBAVI EOS, hoc lo-  
 quitur de tempore captivitatis Chaldaica, tunc enim illis Danie-  
 lem, Chananiam, Misaelem & Afariam constituit. NON FA-  
 STIDIVI EOS, hoc loquitur de tempore, quo Graeci iis dominabaz-  
 tur, tunc enim constituit iis Simonem Justum, Chasmonaeum & fi-  
 lios ejus & Matthaiam summum Pontificem. AD PERDEN-  
 DUM EOS, hoc loquitur de tempore Hamanis, tunc enim consti-  
 tuit illis Mardocheum & Estherem. AD IRRITUM RED-  
 DENDUM FOEDUS MEUM CUM IIS, hoc loquitur de tem-  
 poribus Persarum, quia constituit illis, qui sunt de domo Rabbi, &  
 Sapientes illius etatis. QVIA EGO SUM DOMINUS DEUS  
 EORUM, haec promissio adhuc futura est, quando nulla natio, aut  
 lingua in eos dominari poterit. Hanc Talmudistarum traditionem  
 e sua sede hic productam, aliter adhuc refert Christianus Gersfon  
 lib. I. Talmudis Judaici c. XIII, p. 74. 75. Quadruplex inquit sola-  
 tium Judaeis proponi, Primum in istis verbis: Non reprobabo eos,  
 quod impletum sit, cum essent sub Graecorum dominatu; Alte-  
 rum in his: Non fastidivi eos, quod sit impletum, cum Titus Ve-  
 spasianus obsidione Jerosolymas cinxisset; Tertium in illis: Non  
 consumentur, quod tempore Hamanis impletum sit; & Quar-  
 tum denique, cum ait: Foedus meum durabit, quod de praesenti  
 tempore, quo sub Romanorum jugo vivunt, sit intelligendum.  
 Quod vero additur: Ego sum Dominus Deus ipsorum, eo ad tem-  
 pora Gog & Magog respici. His ergo ita potius planissimum esse  
 dicunt Judaei, plenarium vaticinii complementum adhuc restare,  
 adeoque Messiae tempora nondum venisse, sed expectanda cum  
 bona spe patienter. Unde ter singulis diebus preces conjunctas  
 repetunt, ut progerminare Deus tandem aliquando faciat illud  
 germen Davidicum ad salvandum & liberandum populum  
 suum. Haec larva est deaurata Judaeorum.*

Simia.

CAP.

## CAP. II.

### Larvæ detractio, sive Judaicæ deprava- tionis confutatio.

#### §. I.

Larvam istam nunc detrahimus, ut turpissima Simiæ forma conspiciatur, hoc est, appareat, quàm turpiter se dent Judæi meras divino oraculo nugas assuendo. Quamquam enim eorum nugas recitasse, idem est, ac refutasse, adeò ut refutatione facile superfedere possimus; unde ad fabulas illas, quas præter scripturam comminiscuntur, nihil quicquam dicemus; at verò, quia identidem ad scripturæ vaticinia provocant, nostrum hîc erit, argumenta eorum ex Scripturis desumpta expendere, non quòd omninò necessarium esse hunc laborem judicemus, siquidem quod *πεῖρωτον ψῦδός* attinet, jam conclamatum est de causa Judaicâ; sed ne nihil hîc egisse videamur. Ad *primum* ergò locum *Malach. IV, 7.* sciendum est, nomen *Elia* non *subjectivè seu personaliter* accipi, quasi ipsa persona Eliæ Thesbitæ adventum Messiæ præcessura sit, sed *objectivè seu virtualiter*, quòd alius quidam in eodem cum Elia spiritu atque virtute nec non corporis cultu expectandus. Quo nemo unquam venerabilior exitit Johanne Baptistâ, quem admodum & ipse non tantùm de se profitebatur in deserto, quòd viam Domino jam tum præsentem pararet, sed & Christus testabatur plus omninò valere Johannem, quàm Eliam, cæterosque Prophetas omnes, *Matth. XI, 9.* ut adeò facilis applicatio fieri potuisset ad hanc personâ, quæ nam sit, modò saniora consilia pati potuissent Judæi. Quoad *alterum*, nempe commotionem illam universalem totius Univerfi *Hagg. II, 7.* nodus solutus non adeò difficilis est. Ipse Rabbi Salomo fatetur, cælum & terram & reliqua non concussione quadam & ingenti hiatus naturæ sed miraculis commovenda esse. Atque hoc factum & ante adventum nostri Christianorum, id est, veri Messiæ, & in illo, & post eundem passim legimus in profanis pariter atque sacris scriptoribus. In cælo nova admirabilis stella apparuit, & innumera Angelorum phalanx nascente CHRISTO ab ipsis Judæis visa est. Terra commovebatur non solum portentis, quæ iisdem

B ferè

24

2527

26



gustum Jani templum Romæ claudentem; quod satis est, si locum  
de mundanâ ac terrenâ pace accipiamus. Caterùm constat, pro-  
missiones illas spirituales esse, adeoque & pacem ibi promissam de  
*Spirituali* solùm intelligendam. *Quarto*, qui templum tertio  
reædificandum præstolantur, fundamentum in aurâ positi quæri-  
tant. Non enim *terrestre* aliquod templum in desolati locum re-  
stituendum promittit Zacharias, sed mysticum illud *ἀνεγρόντες*  
ecclesiam scilicet ex vivis & electis lapidibus, i.e. fidelibus constru-  
endam, & ut verbo dicam, Hierosolymam supernam, & civitatem  
cœlestem, *Hebr. XII, 22.* *Quinto*, per *finem dierum* Propheta  
*Jesa. II, 2.* non paucos quosdam annos finem mundi præcessuros,  
sed *ultimam Monarchiam* non nisi cum fine mundi desituram in-  
telligit, sub cujus auspicio Jesus noster natus est, pulchrè id dedu-  
cente Magnifico D. Geiero b.m. *ad Daniel. II, p. 640. & X, 12, p. 810.*  
Hisce ita expositis evanescit omnis Judæorum spes in venturum  
Messiam, & per eundem, quod *alterum* erat, hujus vaticinii imple-  
tionis falsa persuasio. Neque enim juvabit Judæos collectio o-  
vium undiqve dispersarum *Ezech. XXXIV, 12. seq.* neque salvatio  
Judæ sub Messia speranda *Jer. XXIII, 6.* quandoquidem hæc & si-  
milia loca, quæ agunt de liberatione & salvatione populi Judæi,  
non corporaliter, sed spiritualiter intelligenda veniant. Non  
enim Messias oves errantes per arma & vim coactivam externam  
in terram Canaan, sed per verbum & sacramenta ad Ecclesiam ve-  
ram, & æternam patriam, Hierosolymam sc. cœlestem reducturus  
erat. Conf. *Ezech. XXXVII, 12. Eph. II, 11. seq.* Quæ omnia in Je-  
su Messia nostro completa credimus. Oves dispersas undiqve  
pedo suo amabilissimo ad ovile Ecclesiæ, quotquot saltim pasto-  
ritiam ipsius vocem sequebantur, reduxit. nec minus salvavit  
gentes, quæ ipsum recipiebant, atque confitebantur. Quod offi-  
cium adhuc quoque exercet per fideles Ecclesiæ suæ ministros.  
Quare Judæorum argumenta longè feliciter adversum ipsosmet  
Judæos invertimus: *Quæ vaticinia pridem in Jesu nostro imple-  
ta sunt, ea Messiam dudum venisse, nec alium esse expectantem  
vincunt. Atqui hæc à Judæis produci solita vaticinia pridem  
in Jesu nostro impleta sunt* (quod patet ex ante dictis.) Ergo.

§. 2. *Alter fucus, quo pulcherrima facies textus nostri*

B 2

cor-

24

2527

26



corrumpitur, erat hypothesis, quã *Promissionem* hanc *absolutam*  
 volunt. Ubi quidem illud in thesi concedimus, *promissionem*  
 de mittendo Messia absolutam esse, de quo alibi agunt Theologi;  
 negamus autem in hypothesi, hanc *promissionem*, quã Judæis  
 facta est in hoc oraculo, esse absolutam, cum expressa conditio  
 pœnitentiæ nullam exauditionem sperare jubeat, nisi ipsa adimple-  
 tã. Nam statim in frontispicio capitis, ex quo thema nostrum de-  
 sumptum, particula conditionalis **EN** præfigitur, quã deindè  
 per totum caput regnat nusquam extrudenda, svadente textus  
 symphoniã. Quoad glossã Rabbi Aben Ezrã, fatendum equi-  
 dem, Deum omninò esse fidelem & inmutabilem, tùm in sese  
 atque in sua essentiã, tùm in voluntate; negamus autem, inferri  
 mutabilitatem voluntatis divinæ, si conditionata *promissio*, non  
 impletã conditione, haud impleatur, imò tantum hoc abest, ut  
 potiùs hinc immutabilitas divina fortius confirmetur. Cœte-  
 rum mirari liceat, quomodo in hoc  $\psi\epsilon\upsilon\delta$  de absolutã *promis-  
 sione* dilabi potuerint Judæi, quorum aliàs, cum à Christianis  
 circa tempus adventui Messiaë destinatum diu elapsum urgentur,  
 unicum hoc est effugium: **שָׂאן הָרַבֵּר תְּלוּי אֱלֹהִים בְּתַשׁוּבָה**  
**טוֹבִים** *totum negotium non nisi à pœnitentiã & bo-  
 nis operibus dependere*, ut Talmudistæ loquuntur Massech. Sanhe-  
 drin f. XCVII. col. 2. Similiter Schir Hasehirim Rabba fol. XXII.  
 sol. 2. **ר' לוי אמר אלו היו ישראל עושין תשובה אפרו יום**  
**אחד מיד הם ננאלים ומיד בן רוך נב** *R. Levi dixit: si  
 Israelite pœnitentiã agerent, vel unico die, confestim redime-  
 rentur, & absque morã Messias Davidis filius veniret. Idem re-  
 petit celebris nostro tempore Rabbinus Menasse ben Israel lib.  
 III. de Resurrect. mort. c. III. p. 261: Profectò, inquit, verissimum  
 est, si Israelitæ serio facturum suorum pœnitentiã egissent, Messias  
 adventus non fuisset procrastinatus; at nunc, quia profunde im-  
 mersi jacent hærentque desixi in vitiis & peccatis suis, hinc est,  
 quòd differatur beatitudo illa, &c. Concilient hæc Judæi cum ef-  
 fato illo de absoluta Messiaë *promissione* in textu factã.*

§. 3. Quod deniqve Applicationem Textus à Talmudistis  
 factam concernit, apertè satis committitur elenchus compositi-  
 onis & divisionis, quando junctum sumenda sunt omnia, quæ illi  
 divisim

divisim, glossulis suo more interspersis, accipiunt. In quibus ipsi-  
 met produnt, quàm suæ sententiæ sint incerti, dum alii aliter, ut vi-  
 dimus, verba interstincta ad nugas suas accommodant. Quare non  
 est, ut de singulis speciatim agamus, quæ ipsa jam mole ruunt suâ.  
 Ad ipsius textûs enucleationem accedemus potiùs, quâ in verum  
 scopum & sensum oraculi deducamur, ubi colophonis loco ver-  
 sionem Iudaico-Germanicam cum glossemate quodam, huic ca-  
 piti attexuerimus. Illam quidem ex Paraschis & Haphtaris Le-  
 onis Breschii fol. LXXXIX. col. 1. qui ita transtulit: Und auch/  
 so sie sein im Land ihrer Feind / nit ich will vorschmähen sie /  
 und nit ich wil unwürdigen sie von zu verderben sie/ von zuver-  
 stören mein sicherheit mit ihnen / wenn (pro denn) ich bin Gott  
 ihr Gott. Glossema verò ex Zennorena fol. LXXXIX. col. 1.  
 der Psaluk lernt uns/ wenn gleich Israhel werden seyn im galuth,  
 noch werden sie behalten die Torah, die da heisset (תּוֹרָה) kelo-  
 mar: Hakkadosch baruch hu wird chesed thun mit Israhel / daß sie  
 werden können Torah lernen. Und die Ummoth werden sie ver-  
 stören/ als der Medrasch geht: Was ist nun geblieben zu Israhel?  
 sie haben alles verlohren/ nurt die Torah die ist ein wenig bey sie zu  
 beschirmen sie in galuth.

### C A P. III.

#### Vera & genuina Textus explicatio.

##### §. I.

**V**ulgati illius: *Nucem frangat, qui nucleum esse vult, nos*  
 hic quoque memores, singula oraculi Mosaici verba ac-  
 curatius pensitabimus, textum ipsum è fontibus Hebræis, & tri-  
 bus præcipuis versionum rivulis, ad quos subindè respiciendum  
 erit, præmittentes;

#### FONTES SIC FLUUNT:

וְאַתְּ-צִמְ-זֶמֶת בְּהוֹתֶם בְּאֶרֶץ אֲבוֹתֵיכֶם לֹא-מֵאֲסִתִּים וְלֹא-  
 נִעְלָתִים לְכַלְתֶּם לְהַפֵּר בְּרִיתִי אִתְּם כִּי אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם ;

B 3

LXX:

24

2527

26

LXX. INTERPP.

Καὶ ἔδ' ὡς ὄντων αὐτῶν ἐν τῇ γῆ τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν, ἐχ' ὑπερεῖδον αὐτοὺς, ἔδ' προσωχθισα αὐτοῖς, ὡς τε ἐξαναλώσαι αὐτοὺς τὴν Ἀσκεδάσαι τὴν Ἀσθήκην μετ' αὐτῶν, ἐγὼ γὰρ εἰμι κύριος ὁ θεὸς αὐτῶν.

VULGATA:

Attamen etiam cū essent in terra hostili, non penitus abieci eos, neque sic despexi, ut consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum.

LUTHERUS:

Nach wenn sie schon in der Feinde Land sind / habe ich sie gleichwohl nicht verworffen / und Eckelt mich ihr nicht / also / daß mit ihnen aus seyn solte / und mein bund mit ihnen solt nicht meht gelten. Denn ich bin der HERR ihre GOTT.

EXPLICATIO.

אֲנִי-וְעַתָּה Et etiam quoque hoc. ] Elegans simul & emphatica locutio, unâ voce Nach à B. Luthero expressa, qui propriam geminatæ copulativæ significationem retinuit. Sunt, qui his vöculis וְעַתָּה sic conjunctis notionem conjunctionis concessivæ, *Quamvis, Quamquam*, tribuant, Paulum Fagium secuti, qui hæc Chaldaica Onkelosii: אֲנִי-וְעַתָּה transtulit: *Et licet ita futurum sit. Quod Christianus Noldius in Annot. & Vindic. ad Concord. Partic. p. 849. laudat, atque id magis textum illustrare, quam aliorum versionem: Atque etiam. Nam intentio est, inquit, dicere: QVAMVIS HOC ITA SIT; (nempe quod terra relinquenda sit in desolatione, & populus in exilium deportandus sit v. 43.) tamen in totum non consumiam eos, nec rescindam fœdus, quod cum illis pepigi.* Parum abludit Johan. Coccejus in *Lexico fol. 59. integram formulam אֲנִי-וְעַתָּה reddens, nihilominus. Sed veremur, ut notio ista concessiva, exemplis aliis adstrui possit, neque in ipsis particularum Concordantiis p. 99. inductione eam probavit Noldius, solâ assertionem contentus, quam ipsi bona connexio persuadebat. Nos ergo à primo particularum significato non recedemus, in quarum repetitione pleonasticè factâ insignis emphasis non sine elegantia latet, quam B. Glassius *Lib. III. Phil. S. tr. VII. Can. VII. p. 592. (305.)* agno-*

agnovit & evoluit. Notandus igitur (1) idiotismus lingua sanctæ, cum duo Synonyma conjunguntur elegantia & emphaseos causâ v. g. **לֹא לֹא** Non non, i. e. omnino non *Exod. XIV, 11.*  
**כִּן קִן** solum tantummodo i. e. planè solum *Num. XII, 3.*  
**לְפַתַּע פְּתָאעַ** repente subito i. e. maximè subito *Jesa. XXXV, 3.*  
**לְמַהֲרָא** leviter velociter i. e. velocissimè *Joel. III, 4. &c.*  
 Sic & hîc **וְגַם** etiam quoque i. e. imò etiam; quem harum particularum pleonasmum Latinis quoque Autoribus non omnino inusitatum observarunt Glassius *loc. cit.* & Drufius *ad difficil. loc. Levit. Cap. XCIV. pag. 37.* quorum ille provocat ad Terentium: *Ego quoque etiam credidi*, item: *Ego pol quoque etiam timida sum*; hic ad Plautum: *Hanc quoque etiam, si me appelleret filiam, matrem vocem.* Notanda (2) coherantia cum antecedentibus, in quibus Deus promissionem gratiæ populo suo rebellis quidem, sed poenitenti conferendæ exorsus fuerat, cum elegantigradatione per hanc voculam **וְגַם** aliquoties iteratam, ascendente: *Et recordabor fœderis mei cum Jacobo, וְגַם וְגַם etiam fœderis mei cum Isaaco, וְגַם וְגַם etiam fœderis mei cum Abrahamo inisi recordabor, וְגַם terra recordabor &c.* hinc annectitur præsens pericopa: **וְגַם** etiam quoque hoc sum facturus. Quæ melior posset esse cum antecedentibus connexio, non quæ sita, sed ab ipso stylo nobis oblata? Notanda (3) Ellipsis verbi ex contextu supplenda, qualis est 1. *Paral. XV, 13. Quia principio vos non, scil. fecistis hoc*; similiter & hic: *Et etiam quoque hoc, scil. facturus sum.* Vide Glassium *lib. III. Phil. S. tr. III. Can. LVI. pag. 401. (666.) & lib. IV. tr. II. Obs. II. p. 702. (886.)* Notanda (4) commoda connectendi formula ex hætenus observatis elicienda, quâ emphasis in fontibus latens, in versionibus exprimitur. Vix enim melius Latine reddes, quàm hoc modo: *Quin & hoc que facturus sum.* Et Germanicè: *Ja auch / wenn sie schon &c.*  
**כִּי יִהְיוּ** Cum fuerint.] Ad verbum: *in esse illos.* Est enim infinitivus verbi Substantivi cum præfixo & suffixo. Solent autem Hebræi sic efferre, quod Græci dicunt *ὄντων ὄντων*, Latini: *existentibus illis.* Si quidem in his talibus locutionibus præfixum **כִּי** transit in naturam adverbii: *Cum, quando, & suffixum exprimit*

24

2527

26

primit personam, de quâ aliquid enunciat, & infinitivus per verbum finitum, vel per duos Ablativos explicandus est, quorum alter est nominis, alter Participii, v.g. בְּכַרְחוּ in fugere ipsam i. e. cum fugeret ipse, vel fugiente ipso *Psal. III, 1.* בְּאֶמְרִי in dicere me i. e. cum dixerō ego, vel, me dicente, *Ezech. III, 18.* בְּקִצְרְךָ in metere te, i. e. cum messueris tu, vel, te metente *Lev. XXIII, 22.* בְּמִצְאֵכֶם in invenire vos i. e. cum inveneritis, vel vobis invenientibus *Gen. XXXII, 19.* &c. Caterum suffixum illud respicit Israëlitas peccatores, Dei pœnam sustinentes, & per pœnitentiam ad Deum conversos, de quibus in antecedentibus fuerat sermo.

בְּאֶרֶץ אֹיְבֵיהֶם In terra inimicorum suorum. ] Notandum hîc (1.) circa nomen אֶרֶץ terra, litigari de ejus etymo. Alii à רָץ currendo deducunt, vel quòd omnibus animalibus currendi stadium præstet, vel quòd perpetuo rotatu cælum circa terram currat. Alii à רָצה voluit, vel quòd jugiter suos fructus cupiat proferre, vel quòd aspectu ejus delectentur (nam & hoc est רָצה ) terricolæ. Alii à רָצַע terendo, à quo & terra latine dici putatur. Sed maluit Hottingerus *lib. I. Thef. Philolog. cap. II. sect. VI. p. 234.* etymon ex usu radicis אָרַץ in lingua Hebræâ inusitate Arabico derivare, ubi *humilem & depressum esse sonat*, cui & nos subscribimus; non quasi ex Arabicâ radice nomen hoc Arabicâ lingua antiquius descendat, sed quia radix Hebræa, postquam ad Arabes transiit, apud hos solos superest. Conf. Edmundum Castellum *Lex. Heptaglott. col. 235.* Nec ratio denominandi aliena, cum & Chaldæis אַרְעֵי terra, quasi ima dicatur, teste R. Aben Esra *ad Dan. II, 39.* נִקְרְאָה הָאֶרֶץ אַרְעֵי כִּי הִיא תַּיִם לְמַטָּה מִהֶרֶם Terra Chaldaicè vocatur אַרְעֵי quia inferior est rebus omnibus. (2) quoad usum, notat h. l. non elementum terræ, quod partim aquis tegitur, partim ab hominibus incolitur *Gen. I, 10. n.* sed specialius regionem aut provinciam, prout dicitur אֶרֶץ מִצְרַיִם terra Aegypti *Gen. XLI, 19. seq.* אֶרֶץ שֵׁן terra Gosen *Exod. II, 22.* אֶרֶץ כְּנָעַן terra Canaan *Jos. II, 11.* אֶרֶץ יְהוּדָה terra Judæa *Ruth. I, 7.* אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל terra Israël-

raeliica. *Sam. XIII, 19.* ארץ פלשתים terra Philistæorum  
 1. *Sam. XXVI, 1.* ארץ מורדת terra patria *Gen. XXIV, 7, &c.* Sic  
 & hoc loco terra inimicorum est regio hostilis, seu regnum & pro-  
 vincia, quam hostes incolunt. (3.) אֹיְבִים *hostes* (à singulari  
 אֹיֵב) sunt persecutores clam palamvé insidias alicui struentes, &  
 omni modo, quo possunt, mala inferentes. Verbum אֹיֵב enim  
 est hostili odio proficere, & semel tantum *Exod. XXIII, 22.* legitur; at  
 אֹיֵב *hostis, inimicus* frequentissimi in sacris usus est, *Exod. XV, 6.*  
 9. *Lev. XXVI, 25. Num. XXXV, 23. &c.* (4.) per *hostes* *Israeli-*  
*tarum* intelliguntur, qui eos bello subegerunt, quamdiu periodus  
 Reipublicæ Israëllicæ durabat, cui cum ipso cultu Levitico ter-  
 minus ponebatur per Messæ excidium, de quo expressum extat  
 vaticinium *Dan. IX, 26. 27.* Et quanquam vicini illi populi, à  
 quibus, Judicum præsertim tempore, sæpius affligebantur, hoc no-  
 mine veniebant; speciatim tamen hæc Chaldæi designantur, in  
 quorum regione diu satis detenti sunt. (5.) Phrasis integra: *esse in*  
*terra inimicorum suorum*, non nudam commorationem & habi-  
 tationem notat; sed quæ cum afflictione, servitute, multisque  
 oneribus conjuncta est, qualis solet esse eorum, qui bello devicti  
 in exilium & captivitatem ab hostibus deportantur. *Conf. Psalm.*  
*CXXXVII, 1.*

לֹא מִאַחֲזֵי לָא Non rejiciam eos.] Hactenus descripta fuit  
 misera populi captivitas, in quam mittendi sint ob peccata adeò,  
 ut à Deo profus derelicti habeantur. Jam ipsa sequitur promissio,  
 & quid factururus sit Deus fœderis sui cum patribus initi recor-  
 datus. Et hæc quidem negat Deus, se penitus suum populum ab-  
 jecturum, ubi (1.) in genere, quoad hoc & sequentia membra,  
 probè tenendus est idiotismus, quo negatio cum quadam empha-  
 si contrarium affirmatum includit, ut cum *Jesa. XLII, 3.* dicitur:  
*Arundinem quassatam לֹא יִשְׁבֹּר NON FRANGET, & li-*  
*num fumigans לֹא יִכְבֶּה NON EXTINGVET* i. e. arun-  
 dinem quassatam tantum abest, ut fracturus sit, ut potius sit conso-  
 lidaturus & confortaturus: tantumque abest, ut linum fumi-  
 gans extincturus sit, ut potius sit accensurus & illuminaturus; (de  
 quo idiotismo legi meretur *Lutherus Tom. IV. Jenens. Lat. fol.*

C

330. col.

24

2527

26

336. col. 2.) pari modo & hic Deus: *non rejiciam, neque fastidiam* am & c. i. e. non tantum non rejiciam & fastidiam, sed & in gratiam recipiam & bonis omnibus afficiam. (2.) Notanda quoque hic & in sequentibus enallage temporis prateriti pro futuro, qualis in vaticiniis est perpetua, juxta Regulam R. Salomonis ad *Jesa. XLII, 16.* כֹּל לִשָּׁן נְבוּאָה מְדַבֵּר עַל הָעֵתִיד כְּאִלּוּ הָיָה עִתִּי עַתָּה *omnis lingua Prophetica loquitur de futuro, tanquam de praterito.* Rationem reddit Augustinus *lib. XIV. de Civ. Dei c. XLIX.* Quoniam, inquit, quae futura erant, in praedestinatione & praescientia Dei velut facta erant, quia certa erant. Exempla ubi vis obvia adduci renuunt. & locus *Jesu. XLII, 16.* ad quem Rashi ista observabat, nostrum abunde illustrat: אֱלֹהֵי הַדְּבָרִים עָשִׂיתִים *Res illas feci, h. e. faciam, ut recte ibi Lutherus: Solches wil ich ihnen thun. Et sic h. l. לֹא מִסְתִּים non rejeci eos, לֹא נִעְרַתִים neque fastidivi eos, pro, non rejiciam, neque fastidiam.* Lutherus tamen in versione praeteritum retinuit, sed verbis, qua pollebat hermenevica virtute, sic informatis, ut genii Germanicae linguae probe gnarus sensum cum emphasi verborum Hebraicorum hinc egregie hauriat: Wenn sie schon in der Feinde Land sind/habe ich sie gleichwohl nicht verworffen/und eckelt mich ihr nicht/ also/das mit ihnen aus seyrt solt &c. qua versione nihil tersius. Jam quod (3.) in specie verbum *רָפַחְתִּים reprobaui* attinet, notat radix *רָפַח* nausebundam projectionem & contemptum, quando aliquid veluti molestum, vile, contemptumq; averfamur, & cum fastidio rejicimus ac reprobamus, quemadmodum architecti *רָפַחוּ reprobarunt* lapidem angularem *Psal. CXIIX. 22.* Sic usurpatur de rejectione correctionis salutaris *Prov. III, 11.* de contemptu legis divinae *Jesa. V, 24.* de odio scientiae *Hos. IV, 6.* in quo ultimo loco & statim divina comminatio additur, eodem verbo repetito *רָפַחְתִּים* & *repellam vos*, adeoque Deo attributa notat totalem reprobationem & excisionem, ut *Fer. VII, 29.* & *XIV, 19.* quae loca huc omnino conferenda. Sic autem negat Deus suum populum reprobaturum.

לֹא נִעְרַתִים *Neque fastidiam eos.* Idem alio verbo aque

æque emphatico exprimitur, & hoc quidem in antecedentibus  
 bis jam aderat de fastidio, quod populus erga statuta & judicia  
 Dei concepturus esset *v. 15. & 43.* & bis de fastidio Dei erga  
 ipsos *v. 11. & 30.* Notat autem radix **רָפַץ** *raspuere*, & cum spu-  
 to quasi rejicere per contemptum, atque abominari, prout so-  
 lent fastidientes rem aliquam, v. g. mulier maritum & liberos fasti-  
 diens *Ezech. XVI, 45.* & sic ad Deum quoque refertur *Jer.*  
*XIV, 19.* ubi planè uti in nostro loco præcedenti verbo **רָפַץ**  
 jungitur. Atque hæc est plenaria locorum inductio, præter quæ  
 non nisi semel adhuc in Hiphil de seminis sterilibus in uterum vacca  
 à bove frustra immitti ex eo ejectione sine conceptione, *Job.*  
*XXI, 10.* & semel in Niphil de projecto abjectoque heroum  
 clypeo *2. Sam. I, 21.* legitur. Unicum hinc descendens nomen  
**רָפַץ** *fastidium*, itidem semel tantum extat *Ezech. XVI, 5.*

**לְכַלְהֵם** *ad conficiendum eos.* Vel potius: *conficiendo eos.*  
 Sic enim (1.) præfixum ל per Gerundium in DO optimè hîc  
 exprimitur, ut *Ruth. I, 6.* Deus visitaverat populum suum **לְכַלְהֵם**  
*dando eis panem.* Similiter enim hîc promittit Deus, se non re-  
 probaturum esse populum suum *conficiendo eum*, ut adeò & mo-  
 dus & effectus fastidii atque abominationis his innuatur. (2.) **רָפַץ**  
**לְכַלְהֵם** est infinitivus Pielicus à radice **רָפַץ** *consumptus fuit*,  
 quæ & *in bonam partem* pro plenariâ & perfectâ rei alicujus ter-  
 minatione, & *in malam partem*, pro omnimodâ destructione sum-  
 mitur, passivè & intransitivè. In Piel igitur activè & transitivè  
 utroque modo notat conficere & consumere, & hoc quidem loco  
 notionem omnimodæ destructionis habet, prout alibi occurrit de  
 extirpatione Cananæorum, quos internecioni dare debuerant  
 Israëlites, sed **לֹא כִלְוּם** *non consumserunt illos* *2. Paral. IIX,*  
*8.* de Joaso Syros percussuro, **עַד שֶׁיִּכְלְוּם** *usque ad consumere* *2.*  
*Reg. XIII, 17, 19.* de Saule Gibeonitas consumente (**כִּלְוּם** *con-*  
*sumsit nos*) *2. Sam. XXI, 5.* Et sic de Deo quoque Israëlitas con-  
 sumente *Exod. XXXIII, 5. Ezech. XXII, 31.*

**לְחַבֵּר בְּרִיתִי אִתָּם** *ad dirumpendum fœdus meum cum*  
*ipsis.* Vel potius (1) juxta observationem præcedentem per gerun-  
 dium in DO: *dirumpendo fœdus meum.* Hæc enim ruptura fœ-  
 deris



deris effectus itidem foret fastidii & reprobationis. (2) הִפְרָה est  
 infinitivus Hiphilicus, à radice פִּיר *disrumpi*, quæ in Hiphil est  
*disrumpere, invertere, irritum & invalidum reddere*, ac legitur de  
 everfione mandati, si quis id negligat *Num. XV, 31.* de abolitione  
 voti, si quis illud revocet *Num. XXX, 9.* de inversione consilii  
 Achitophelis, quod Hufai irritum faciebat *2. Sam. XV, 34. XVII, 14.*  
 Atque sic & de ruptura fœderis *Jef. XXXIII, 8.* (3) בְּרִית  
*fœdus* dicitur, vel à בָּרָה *elegit*, quia personæ eliguntur inter  
 quas, & res ac conditiones propter quas fœdus inicitur; vel à  
 בָּרָה *declarando*, quia fœderis leges & conditiones confœderatis  
 omnibus declarata & manifesta esse debent; vel à בָּרָה quod  
 in Piel est *cadere*, quia in pangendis fœderibus olim cædi solebant  
 animalia, de quo more R. Salomo *ad Gen. XV, 10.* דרך כורתי  
 כרית לחלק בהמרו ולעבור בן בתרודו כמו שנאמר להלן  
 העוברים בן כתריו העגל: *In more positum est fœdus percutien-*  
*tibus, dividere jumentum, & per partes divisas transire, sicut dici-*  
*tur Jer. XXXIV, 18.* *Et transierunt inter partes vituli.* (4.) de  
 suo fœdere loquitur Deus, & quidem cum ipsis inito, בְּרִיתִי  
 אִתְּכֶם *fœdus meum cum ipsis*, inquit, quo significat haud dubie  
 fœdus illud, cujus se fore memorem modò dixerat *v. 42.* vi cujus  
 ipse sua illis bona erat collaturus, & illi vicissim Deo fidem & cul-  
 tum præstare debebant. *Conf. Deut. VII, 9. 2. Paral. VI, 14.*  
 בְּיָמַי *Quia.*] Non ineptè fortassis diceretur, תֹּדַע בְּיָמַי positum  
 hic esse pro בְּיָמַי h. e. non esse causale, sed adverbium, &  
 valere *sed*; prout in simili casu, cum negativa præcessit, usurpari  
 solet; v. g. Non nobis, Domine, non nobis, בְּיָמַי *sed* nomini tuo  
 da gloriam *Psal. CXV, 1.* Non moriar בְּיָמַי *sed* vivam *Psal. CXIX,*  
*17.* Non concedite ei Deus comedere de eo, בְּיָמַי *sed* alius consu-  
 mit illud *Cob. VI, 2.* &c. Similiter hic sensus optimus: *Non reji-*  
*ciam eos, neque fastidiam eos, perdendo illos, frangendoque fœ-*  
*das cum illis inicum, בְּיָמַי sed ego Dominus ero Deus eorum.* Enim  
 verò cum in negativâ istâ affirmativum contrarium jamdum late-  
 re dixerimus; meritò pro causali habemus, ut sic reddatur ratio  
 tantæ misericordiæ, quam populo rebelli, si pœnitentiam agat,  
 exhibiturus esset. אֲנִי

אני Ego.] Pronomen demonstrativum primæ personæ nomini præmissum ellipsin verbi substantivi sum inducit, quod interpretes in versionibus rectè suppleverunt, de quo idiotismo vide Glaff. lib. III Phil. S. tr. II. Can. VII. p. 186. (511.)

יהוה Dominus.] Nomen Deo proprium Grammaticè, Logicè, & Theologicè, de quo innumera Philologorum & Theologorum observationes, quin & integri tractatus & libri extant. Quid nos de eo? tacere præstat, quàm pauca loqui.

אלהים Deus eorum.] Sed & de hoc nomine יהוה quàm plurima forent dicenda, quæ similiter omittimus. Relativa solum phrasis hîc attendenda, quâ Dominus se יהוה Deum eorum, Deum populi sui, fore pollicetur, quæ ipsum illud fœdus cum patribus initum, & jus adoptionis in eos collatum respicit. Expendenda in hanc rem diligenter loca, Psal. CXLIV, 15. Hebr. XI, 16. & alia.

Ex hætenùs observatis de vero sensu pericopes facîle constabit. Nempè Deus ipse loquitur, qui suâ sponte populum Israëliticum sibi ex omnibus terræ populis non elegit tantum, sed quovis etiam bono ad saturitatem usque cumulavit. Afflictos plusquam barbarâ feritate eduxit ex Ægypto tot & tantis undiqve miraculis editis, ut Deum præsentem sub symbolis non solum viderint, sed etiam gratiosam ipsius cohabitationem plenissimè persenserint. Auro argentoq; onustos per mare rubrum hostibus suffocatis traduxit incolumes. Esurientes in deserto pane cœlesti ad nauseam usque cibavit, sitientes dulcissimo atqve limpidissimo fonte refocillavit. Indispositam atqve confusam tot millium hominum phalangem in optimam Reipublicæ formam digessit, eamqve honestissimis legibus circumsepit, quarum observantiam cum promissione perpetuò duraturæ felicitatis, & comminatione gravissimarum pœnarum, si transgrediantur, iis imposuit. Quæ omnia cum in memoriam revocata essent populo, tandem ad demonstrandam suam in ipsum gratiam, hanc insuper promissionem addit, nolle se populi dememinisse, si maximè abjectissimus lateat in hostium terris, & remotissimus sit à loco solenni cultui & religioni destinato. Nolle se (1.) Israëlitas ita abjicere à facie sua

in hostium terris captivos, ut nulla spes amplius supersit, fruendi gratioso suo aspectu. Nolle se (2.) ita eos fastidire, ut ipsorum memoria sordeat, & nauseam concitet, quoties recordatio animum subeat. Nolle se (3.) eos ita conficere, ut nullus amplius populus sit. Nolle se (4.) denique ita diffringere fœdus cum ipsis pactum, ut captivis sub hostium potestate & legibus æternum ambulandum sit; quin potius se gratiæ suæ, amoris atque fœderis recordaturum, & omnia bona quæ spiritualia, quæ corporalia largissimè in eos collaturum esse. Hoc iis interposito sanctissimo nomine suo pollicetur, sed eâ lege atque conditione, ut veram pœnitentiã ejuratã impietate atque malitiã agant, sibi que uni, soli, vero Deo adhærescant. Atque hinc porro de complemento promissionis facillè judicari potest, non alio tempore completam esse, quàm captivitatis Babylonicæ, quæ ut universalis, ita longè gravissima fuit. Regiã enim potestate confisã, templo exusto, divino cultu profanato, sacrificiis sublatis, urbe sanctã devastatã, agris desolatis, totò populò in miserissimam servitutem abducto, deploranda facies terræ sanctæ relicta erat, interim non penitus eos Deus abjecerat, non omninò fastidiverat, non planè perdididerat, non totaliter fœdere suo excluderat, sed ad Deum verã pœnitentiã & fide conversis parata erat venia, ipsique patriæ suæ redditi divinam misericordiam atque promissionum veritatem deprædicabant, preces & hymnos præeunte Nehemiã, in quibus solenniter profitebantur, implevisse Deum, omni ex parte, quod hîc per Moysen promississet. Frustrã igitur moderni veterum Judæorum simi promissionem patrum ipsorum temporibus pridem adimpletam sibi applicant, seqve aliquandò ex universo mundo collectum iri in palæstinam cum jubilo reducendos sperant. Nunc enim destructã urbe Jerusalem, et abrogatã politiã Mosaicã post divulgationem Evangelii Christi, non est amplius expectanda ulla politica Mosaicã restauratio in terris. Deinde Judæi, qui nunc sunt, non sunt amplius populus Dei, sed sunt ejecti ex hereditate cœlestium bonorum. Quare cum promissiones Scripturæ habeant suum locum inter cœlestia bona, manifestum est, quòd non pertineant nunc ad Judæos, nisi convertantur ad Christum & iterum fiant per Christum populus Dei, ut bene ad hunc

hunc locum scribit P. Fagius. Quod ut fiat, sincerè illis optamus, atque hoc voto etiam finimus hanc Disputationem nostram, divinam misericordiam implorantes, ut ipsa, durissima illorum corda emolliat, & obscuratum intellectum illuminet, quo se tandem aliquando converti & ad Christum adduci patiantur, antequam ipsos obruat tremendus seculi

F I N I S.



JO. BENEDICTUS CARPZOV, D.

M. JO. GEORG. STROBACHIO,

Respondenti suo, Dissertationis  
Auctori.

**Æ**grè fortassis atque molestè feres, quòd *è mihi leg*  
illa, quæ me in scio tuæ dissertationi ad explendam hanc paginam typis vacuam assueras, te vicissim nescio, cum illa mihi hodiè è typographeo lustranda mittitur, rejiciam. Sed pro amore in me, tuo, scio, ignosces, si rationem tibi facinoris exposuero. Quànvam enim illa non è trivio emendicata jucundissimi offerre colloqvii materiam poterant; fateor tamen, displicere mihi semper has lacinias, quòd neglecto exercitii primario argumento, ad eas plerumque soleant dilabi, qui in arenam cum disputantibus descendunt. Neque metuendum est tibi, ne de sterilitate exercitationis tuæ quisquam tecum congressurus qviritetur, qui thema excutiendum proponis, accuratâ diligentique dignum inquisitione, quia omnis suæ spei basin  
Judæi


24  
2527  
26

Judæi hodiè in hoc oraculo collocant. Laudo ingenium, quod in hanc viam te deduxit; placet conatus, qui de rebus arduis non desperat; probò industriam, quâ difficultates superasti, & eruditionem, quæ multa paucis complexa diatriben haud infeliciter conscriptam dedit. Plura quidem addi ad convincendos adversarios potuisse non inficior, si præsertim ad Veterum Hebræorum testimonia evagari voluisses, qui ita hanc promissionem intelligendam professi sunt, ut ne ultra secundam Palæstinæ possessionem extendatur, è quâ jam ante mille & sexcentos annos ejecti, tertiam se sperare frustra, moderni discere à suis patribus poterant, modò attenderent iis, quæ in suo Seder Holam tradidère. Urgendum & fœdus novum erat, Messiæ tempore erigendum, de quo alia Prophetarum Oracula loquuntur, cum è contrario hoc Mosaicum disertè antiquum illud Ægyptiacum asserat. Sed neque negare debebas typum, quem in literâ abs te egregiè explanatâ agnoscimus latentem, cujus in primâ N. T. pentecoste antitypum complevère Messiam recipientes, & à spirituali Satanæ & peccati captivitate per fidem in Redemptorem liberati. Verùm hæc & alia consultò omisisti, quòd instituto tuo abundè ista sufficiebant, quæ benignè Patroni respicient, quibus tua laudare studia non desinam, qui te inde à multis annis sincerè amò, & à modestiâ & diligentiâ atque pietate nulli non bono commendatissimum novi. Vale! è Museo,


d. XIV. Maji, ANNO

M. DC. LXXXI.

















12

727

AU

RUM  
SIMIA

JO. B  
SS.

erf. 44.  
SIDIO

DN.

CARPZOVII,  
sanct. Professoris,

itis olim instar Patris  
di,  
n examini

LIPS

THEOLOGICO,  
C. LXXXI.

M.

ROBACHIO,  
p.

NI BRANDI.

24  
25  
27  
26